Compositio Antilogiarum e Libro Genesis

Caput 1.um



Versu 1. legitur: „In principio creavit Deus coelum et terram,
„terra autem erat inanis et vacua et Spiritus Domini fere-
„batur super aquas." Quis sensus horum Verborum?

R. Prima nempe die, id est: sub initium hominis creavit Deus materiam totius universi, quam ut Hebraei illi rudes intelligerent, vocabulis generalibus coeli et terrae usus est Moyses... Affirmari etiam potest haec narrari per anticipationem, quae est S. Augustini opinio. – Sunt, qui volunt verba illa esse titulum Genesis, quasi quis dicat: Creatio coeli et terrae – Jam vero materia illa erat informis ac indigesta, quaedam moles sine specie ac apparatu. Interim Spiritus Dei, id est: vis creaturae ac motrix, ut explicat S. Chrysostomus vel ventus vehementissimus ferebatur super aquas, quo nomine indigesta illa ac informis illa moles primogenia intelligi potest: Universum hoc corporeum a Deo sex diebus conformatum fuit, quod aperte docet Moyses scribens septima die Deum quievisse ab omni opere, quod patraverat: Haec quae origo fuit institutionis ut Sabbathi dies sanctificaretur. Nec dubitari potest, quin sex dierum spatium illud ad litteram sit accipiendum, quandoquidem id demonstrant clarissime et historica Moysis narratio et Sabbathi sanctificatio ob hanc

causam

causam inducta, et consensus Synagogae ac Ecclesiae Xtianae perpetua consensio.

Versus 4. Facta est prima dies dum Deus divisit lucem à tenebris.... at v. 16. quarta demum die Deus fecit duo luminaria magna.... ut dividerent lucem ac tenebras.

R. Per lucem 1ma die conditam intelligi potest corpus aliquod caeteris universi partibus lucidius, quod instar solis modo suo utrumque haemissphaerium illuminare, diem et noctem per tres priores dies distinguere, ac de informandis soli, lunae et astris inservire poterat.

2. v. 26. Inquit Deus: „Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram:" id autem fieri posse negatur. Isaiae c. 40. v. 18. quam imaginem ponetis Deo.

R. Homo creatus est uti ipsa notio Dei et hominis manifestat, ad imaginem Deo simillimam, in quantum natura creata capax est hujus. Consistit autem haec simillima imago partim in natura animae, in quantum ipsa spiritualis est, intelligentia ac libertate ad excellentissimas vitae actiones exercendas praedita, partim in superaddita perfectione hoc est gratia, per quam homo ad divinum quoddam esse elevatur. Isaias loco citato negat tantum perfectam Dei imaginem, quae cum omnimode repraesentet per res creatas poni posse.

Gen. 1. v. 28. Primis Parentibus Deus mandat: „Crescite „et multiplicamini et replete terram„ et Gen. II v. 18. „Deus „inquit, non est bonum esse hominem solum, quod repugnat consiliis de coelibatu in Novo T. commendatis.

R. Patet ex nexu et analogia cum antecedentibus praeceptum c. 1. Genesis non dari, sed simplicem benedictionem, qua Deus illis virtutem procreandi sibi similes impertiit, iisdem verbis certe sine praecepto v. 22. Deus compellavit animalia: „Crescite et multiplicamini et replete aquas maris et utrinque

praece-

praecedit vox eadem benedixit. Neque vero, si praeceptum esset, jam obligaret mundo satis propagato. Similiter, quae dicta sunt c. 1, non est bonum, hominem esse solum" ad illud certe tempus, ut patet, referuntur, quo Societas conjugum necessaria erat ad hominum propagationem.

3. Gen: c. 2 v. 2 legitur: Complevit Deus die septimo opus suum, quod "fecerat et requievit die 7mo ab universo opere." Quibus non congruit dictum Xti Joannis v. 17. "Pater meus usque modo operatur."

R. Planum est, quod 1. c. Gen: affirmatur: Deum die 7o cessasse a nova specierum productione, quarum multiplicem varietatem ad mundi perfectionem per sex dies condiderat: non est autem sermo ibi de rerum productarum conservatione et gubernatione, quae est nova quodam modo singulis momentis productio, sed de novis individuis, quae Deus una cum causis secundis efficit de quibus omnibus verissime dicitur. Pater meus usque modo operatur et ego operor. —

Gen: 2. v. 17. Deus minatur Adamo in quocunque die comederis ex eo /: scilicet ex fructu arboris scientiae boni et mali:/ morte morieris. — Sed ex Gen: 5. postquam Adam comederat, vixit 930 annos.

R. Quod intentavit Deus, statim violato praecepto datum est executioni, continuo enim Adam non tantum morte animae, sed etiam corporis, quo ad debitum et necessitatem mortuus, sive morti obnoxius, mortalis factus est. Ac reipsa eodem etiam momento, quo peccavit, coepit mori, h. e. ad mortem ex ipsius corporis dispositione, sublatis a Deo omnibus adversus mortem remediis deduci, plane subeundam ea hora et articulo quo libuerit Deo.

4. Genes. c. 2. v. 26. Narrat de Enos: " Iste coepit invocare nomen Domini, cum tamen et prius Adam, Abel, et Cain invocaverint nomen Dei et sacrificia obtulerint.

R. Enos coepit invocare nomen Dni instituto externo, et peculi-

are

ari Deum colendi ritu per certas preces et caeremonias quem ritum et aliis persuaserit, ut publicus ac communis fieret; atque hoc Moyses, postquam de inventoribus artium narrasset, apposite subjungit. Itaque vera Religio utpote hominum mentibus insita, idem cum homine ac mundo initium habuit; forma exterior et publicus Religionis ordo introductus fuit ab Enos.

Gen. 18 v. 25. Abraham negat Dei esse occidere justum cum impio, non est hoc tuum inquit c. 1. Deus ipse tamen Ezech. 21. v. 3. minatur Jerosolymae: Ecce ego ad te, et ejiciam gladium meum de vagina tua et occidam in te justum et impium„

R. Si de morte temporali simul et aeterna Abrahamum loqui accipiamus, verissime negatur eodem facto justum et impium a Deo involvi. Si vero de morte temporali Abrahamum loqui, quis putet, intelligat simul de clade particulari sermonem esse, in qua sicut Ezech. 18. v 4. exponit, Deus solet ad merita cujusq. poenam accommodare, non vero de clade quadam generali et communi, qua Deus quantum mala temporalia spectat, sinit, ut etiam justi illis involvantur, ea tamen ratione ut horum perpessio ipsis ad meritum et praemium conducat.

„ Gen 45. v 8. Joseph ad fratres suos admissi in se facinoris reos ait: Non vestro consilio, sed Dei voluntate, huc missus sum; et 50 v 19. iisdem profitetur. Num Dei possumus resistere voluntati? ubi tamen iis exprobrat„ Vos cogitatis de me malum.

R. In omni hac historia intervenerunt nonnulla, quae Deus noluit, inde eliciendi causa permisit, cujusmodi erant, quae post malitiam a fratribus Josephi gesta fuerant, quae Deus voluit permittere, ut Josephum ad Ægypti finem

futurum

prospecturam exaltaret eaq ratione, tum Aegypti totius et externarum in circuitu nationum, tum vero Patris et ipsorum fratrum, qui eum vendiderant fami opportune succurrerunt, imo et fratres ex consideratione tam insignis Dei erga se beneficii et providentiae in peccati sui detestationem impelleret. Atq hoc sensu Joseph benedicere potuit aequum omnino esse, ut Dei voluntati se submitteret, dum ex malo quod promisit, tantum boni voluit efficere

Ex Libro Exodi

„ Exodi 10. v 14. asseritur locustarum vim tantam Aegyptum incubuisse, ut eo numero nec ante illud tempus fuerit, nec postea futuro sint. Cum tamen Proph: Joel 1. v 2. negare videtur plagam locustar qualis suo tempore fuerit nunquam in patrum memoria visam fuisse

R Moyses de Aegypto loquitur, Joël de Judea, ille videtur inauditam plagae magnitudinem e locustarum corpulentia, rapacitate aliisq qualitatibus repetere; hic de continua variorum insectorum multitudine, quae Palestinam tunc temporis affligit, conqueritur. Unde ait versu 4. „ Residuum erucae comedit locusta et residuum locustae comedit bruchus, et residuum bruchi comedit rubigo. Imo secundum plures interpretes Joëlis descriptio tropice designat plures, semperq acerbiores in Judaeam Chaldeor incursiones

, tace 7.

„Exod 7. v. 3 dicitur de Deo „ Ego obdurabo cor Pharaonis„ quo sensu id accipiendum?

R. 10. 16. Exodi Pharao culpam sibi adscribit„ Peccavi in Dominum Deum„ eo ostendit cordis sui obdurationem non esse a Deo tribuendam ad suae malitiae, qua peccatis peccata accumulando gratiam Dei a se repetit, unde etc. 8 et 8. dicitur de Pharaone „ aggravit, obduravit cor suum, ac proinde non alio sensu Exodi c. 4. ad 16 ac aliis in locis Deus dicitur cor ejus obdurasse, quam quod subtractis Pharaoni pertinaci gratiis indebitis, propriae eum reliquerit malitiae, ea qua se positive conduravit. Sensus ergo 1. c. Exodo„ Ego indurabo cor Pharaonis„ est talis„ Ego permittam ut Pharao cor suum obduret. —

„Exodi 12. v. 42. Exitus Israelitarum de Aegypto adscribitur nocti, nox illa observabilis est Dni. v. 51. adscribitur diei„ Eadem die eduxit Dominus„ sed Deut. 16 adscribitur vesperae

R. Verba Scripturae sacrae praesertim hebraice non sumuntur semper in actu perfecto, sed etiam pro actu inchoato v. continuato; Unde Israelitae dicuntur egressi vesperae, cum nempe peractis agni Paschalis ritibus sua contulerant dicuntur egressi nocte, cum post stragem primogenitorum in Aegypto et veniam et mandatum acceperunt egrediendi, dicuntur egressi mane, cum reipsa egredi coeperunt —

„Exodi 20. v. 4. Prohibet Deus omnem figuram, non

faciès

non facies tibi sculptile, neq omnem similitudinem, quae est in Coelo, in terra, in aquis„ Contraria sunt quae sequuntur. Ex 25 v 18. Duos Cherubim aureos et productiles facies„ et Num: 21 v 8. fac serpentem aeneum.

R. Ex divinis hisce jussionibus ad speciem contrariis plane conficitur, quod sculptilia non fuerint prohibita Judaeis, nisi ob periculum Idololatriae, quae cautio manifeste auditur ver: 23. „non adorabis ea„ et Lev. 26. v 1. Non facietis lapidem, ut adoretis eu„ „Seclusa adoratione et periculo idololatriae, jussit Deus Cherubinos et serpentem aeneum fabricari, Salomon quoq Cherubinorum figuras in omnibus parietibus templi expressit, fundi jussit 12 boves aeneos pro sustinendo mari aeneo

quin Deus ipse imaginem suam corpoream et humanam oculis Moysis, Jezuae, Isaiae, Danielis objicit. „Exod. 20 v 5. dicit Deus visitare iniquitatem Patrum in filios in tertiam et quartam generationem, quod repugnat sententiae Divinae Ezech 18 v 20 filius non portabit iniquitatem Patris.

R. Difficultas ex utroq loco orta nulla esse ostenditur „Si Ezechielis locus accipiatur pro poena spirituali et aeterna, quam filius pro Patris peccato nunquam portabit„ anima ipsa quae peccaverit, haec morte aeterna morietur„ favet explicationi loci citati series et nexus. Porro citatus ex Exodo locus intelligi potest de filiis et nepotibus impiorum Patrum suorum imitatoribus; mox enim additur eorum, qui oderunt

me

oderunt me„ ita hunc locum explicant SS. Patres multi.
„Exod: 21. v 24. oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu„ sed haec talionis paena fovet Spiritum vindictae semper prohibitae. —
R. Haec verba ad Judices diriguntur, non vero ad privatos, ut constat ex Deut 19 v 21. unde privato non licet poenam talionis alteri inferre. Ac ne privato quidem licuit coram Judice agere ex Spiritu vindictae, quae et Lev 19. v 19. sive re prohibita fuit et sane rationi adversatur. Unde praeceptum istud inquit S. August. L. 1. c. 19. contra Faustum non fomes sed limes furoris est ad reprimendas flammas odiorum, saevientiumq immoderatos animos refrenandos.

Ex Levitico

+ „Qua de causa populo judaico sancivit Deus legē de mundis et immundis animalibus quibus vesci li-
+ ceret v non liceret Levit. c. 2.?
R. Deus observantiam rudi illo populo ideo praescripsit, ut illis temperantiam, obedientiam et Religionem exerceret. Deinde ut corporali mundititaei consecuti assurgerent etiam ad spiritus munditiem, a peccatis abstinendo ac nominatim ab idololatria 3º. Quia ibi qui prohibentur pravi succi sunt, plerumq digestionem prohibeant et valetitudini noxii, praesertim in calidis Regionibus. Tandem quia haec

immunda

immunda tropologice symbola sunt vitiorum.

Ex Libro Numerorum

„Num. c. 2. v. 14. Quaeritur Moyses „ Non possum solus sustinere omnem hunc populum, cum tamen ex c. 18. jam electi essent tot adjutores?
R. Millenarii, Centunarii etc. electi erant, ut Moysen in civilibus rebus tantum et politicis adjuvarent, non item in spiritualibus in docendo populo in explicandis legibus, difficultatibus, quod onus solus adhuc Moyses sustinebat. Et justa esse querelam declaravit Deus, dum onus illud dispertivit in 70 seniores, quos et Prophetico spiritu instruxit, quin huic quidquam decideret, uti candelae nihil luminis detrahit, et si plures aliae accendantur igne ejus. —

Ex Deuteronomio

„Deut. c. 4. v. 2. Non addetis ad verbum, quod vobis loquor„ quam plurima tamen deinceps a scriptoribus sacris addita fuerunt.
R. Hoc ipso additamenta Deo Auctore facta, clare demonstrant verba Moysis sensu restricto accipienda esse sic, ut ne quis propositis contraria adjungeret vg. in animalibus pro sacrificio offerendis et novis caeremoniis, multum enim erant proclives Hebraei ad imitandos superstitiosos Gentilium ritus. —

„ Deutero

„Deut. 18. v. 15 inquit Moyses, Prophetam de gente tua, sicut me suscitavit tibi Dominus Deus tuus ipsum audies. At Deut. ultimo asseritur. Non surrexit ultra Propheta in Israel, sicut Moyses
R. Uterq locus ut apte conciliatur necesse omnino est primum hoc vaticinium convenienter ad Joan. 1. v. 45. Invenit Philippus Nathanaëel et dixit ei „ Quem scripsit Moyses in lege et Prophetae, invenimus Jesum filium Joseph in Nazareth et Actor. 3. v. 22. Moyses quidem dixit sensu literali et immediato accipere de Xto Prophetarum Principe, qui una ex parte similis fuit Moysi, dumq hic in typo ac figura gessit circa Israelitas legem veterem dando, ipse Xtus in antytypo ac realitate expressit magnifice circa Xnos novam legem promulgando. Altera vero ex parte Xtus Deus homo et Dominus dissimilis fuit Moysi, homini et servo, qui tamen caeteros inter Prophetas, qui cum secuti sunt principem locum obtinet
„ Deut. 30. v. 11. Mandatum hoc non supra te, sed juxta te est valde. – sed de eodem dicitur Actor. 15. v. 10. Jugum quod neq Patres nostri, neq nos portare potuimus et Josuae 24. v. 19.
R. Potuerant utique Judaei opitulantae divina gratia legem Mosaicam distincte satis propositam implere, si gratiam internis, fidei, spei, charitatis et contritionis actibus a Deo enixe petere vel quodam modo emendicare voluissent, non enim erat haec sacramentis aut sacrificiis ejusdem legis ex opere operato, ut ajunt, annexa; sed cum hoc pauci constanter praestarent gratiae, pareitate praeceptorum multitu-

dine

multitudine, et nonnullorum difficultate, hinc et pauci totam legem impleverunt.

Ex Libro Josue

"Cap. 10. v. 12. dixit Josue: sta sol ne movearis, steterunt sol et luna; cum tamen nunc sententia Astronomorum, non sol, sed terra in orbem circa solem gyrum peragat. –

R. Posito quodquamvis non sol sed terra in gyrum agat, absque errore tamen cum libris sanctis dicimus orir et occidere solem, surgere et ab horizonte et ad eum declinare, satisq' est, ut hujusmodi assentioni pondus afferatur. Si ille ita nobis se videndum praebeat, loquentes alia lingua nemo nos perciperet, ad hunc igit motum apparentem respiciens Josue, potestate Dei praecepit soli, ne moveretur. Ut vero longior dies fieret, ad id miraculum sat erat, ut solares radii loco rectae lineae obliquam describerent; Quotidie refractionis causa pluribus minutis priusquam sol in horizonte extet, eum intuemur et invenitur in horizonte tamen non desistimus eundem intueri. Quidni dicere non possumus, quod prodigiose Deus effecerit, ut phoenomenon hoc, quod quotidie fit, per aliquot minutas et aliquot horas protractum esset.

Ex Libro Judicum

"Judicum 8. v. 16. Tulit ergo f. Gedeon; seniores civitatis et spinas

et spinas deserti ac tribulos et contrivit cum iis atq
comminuit viros Socoth. Quomodo haec actio e intelligenda?
R. Crudelitas hujus actionis mollite ac fere evanescet,
si sensum, quem fons hebraicus habere potest sequa-
mur, in eo legitur tantum tulit tribulos et erudivit
cum eis viros Socoth jussit np eos spinis ac tribulis
percuti, ut discernit Principibus et belli ducibus obe-
dire. Nec multo plus eis minatus fuerit. v. z. ibi enim
legitur „ In tante percutiam, sicut percutitur frumen-
tum quasi triturando —
„ Judic. 11. 39. de voto Jephte quid sentiendum?
R. De expleto Jephte judicis voto, circa filiam conveniunt
nunc passim interpretes, non aliter expressum fuisse
ac per consecrationem filiae ad servitium tabernaculi,
cui sententiae favet lectio hebraica illius loci „ Et fecit
illi sicut voverat, quae ignorabat virum in hebraeo „ Et
ipsa non cognovit virum. Iam vero cum Vao (et) a-
pud Hebraeos inter varias notiones et hanc habeant,
igitur propterea jure in hoc textu verti potest: propte-
rea ipsa filia Jephte non cognovit virum. Atque
haec notio similibus locis confirmatur, ut bene adver-
tit l. c. Bullet in Libr. Gall. responsionis criticae p. 206
„ Judic 15. 4. Perrexitq Samson et cepit trecentas
vulpes „ Sed id ajunt incredibile est S. Scripturae
irrisitatores?
R. Solus Samson nominatur tanquam author et
caput, adjutores, cognati v. domestici non excluduntur.
Possibile hoc fuit in Palestina, quae vulpibus abun-
dat teste Morzono, qui circa loca, ubi res gesta est in-
gentem

ingentem vulpium multitudinem oculis et auribus cognovit. Imo de earum frequentia, testantur plures S. Scripturae textus, in quibus de vulpibus est sermo.
„ Judic 16. v 30. Samson sibi et Philistaeis mortem accersit dicens„ Moriatur anima mea cum Philistiis etc. Contra praeceptum Dei. Exod 20. v 20 „ Non occides.
R. Samson citra piaculum hic processit, sive quod supremus vitae, mortisq Dominus voce interiore rem sic agendam ipsi praeceperit uti S. August: opinatur, sive quod ex vi numeris sui tanquam judex et liberator Israëlis contra hostes populi sui agendum esse putavit ulciscendo, quam certo servare maluisset, si ab hostium interitu potuisset se jungi. —

Liber I. Regum

„ 1. Reg. 13. v 1. Saul filius unius Anni duobus annis regnasse dicitur: sed contra aliis in locis p. 1. Reg 10. 13. et Actor 13. vir dicitur procerae staturae et 40 annis praefuisse. —
R. Illa formula Filius unius anni Heb. Benschanach filius anni non aetatis, sed regiminis annum designat: Phrasis hebraica habet, filius anni in regnare ipsum, quod idem sonat ac; Saul egerat primum regni sui annum et exacto aut labente etiamnum biennio elegit tria millia praesidiariorum eaq egit v 2. 1. enarrantur. Consentit huic applicationi versio Syriaca et Arabica. Hebraeis autem

sor filius

filius, filia familias multum est ad designandas res certo tempore v. certa ex causa natas v. ortas. Sic dicitur Hedera Jonae, filia noctis (Jonae 4. v. 10. Sagittae filii arcus. Iob 41. v. 20.)

„ 1. Reg: 16 v. 21. Venit David ad Saul et stetit coram eo, et ille dilexit eum nimis et factus est ejus armiger. Idem v. 26. Saepius psallebat coram eo, et cithara canebat, sed his repugnat, quae leguntur, 17 v. 56. ubi Saul, quasi de ignoto quaereret „ De qua stirpe descendit hic adolescens, cujus filius est puer ille?

R. Cum unius alteriusq. anni spatium intercessisset, quod David a Saulis familiaritate ad patrem domum rediit pascendis rursum gregibus intentus potuit ejusdem memoria apud Saulem defluere, forma etiam Davidis, ut fit in juvenibus aliquantum mutari, praesertim cum antea citharoedi habitu coram Saulo mentis inope et intemperiis agitato compareret, nunc autem habitu pastoritio coram eodem maximis curis et fortassis maniae impetu vexato assisteret. Potuit etiam Saul recedenter quaerere, ex qua familia esset David cum victori Goliathi promisisset filiam suam in matrimonium, nec enim semper Reges inquirunt de progenie domesticorum

Liber II Regum

„ Regum 4. v 8. senex dixit: Claeci et claudi non intrabunt

intrabunt templum?

R. Proverbium erat denotans rei maximam difficultatem eoque alluditur (aestimatio tunc) ad Jebusaeos in munitione arcis suae confidentes et dicentes Davidi eum ab illo capi non posse nisi ante caecos et claudos expulissent. C. 5. v. 6. Non ingredieris huc, nisi abstuleris caecos et claudos dicentes: non ingredietur David huc v. 7. Cepit autem David arcem Sion et ... abstulerit caecos et claudos, odientes animam David. Idcirco dicitur in Proverbio: caecus et claudus non intrabunt in templum.

[illegible] (marginal note, written vertically)

Explicatio Psalmorum

„ Psalmo 1. v 5. legitur „ Non resurgent impii in judicio „ et contra legitur 2. Cor. 5 v 10 Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Xti. Idem Apo: 20 v 13.

R: Negatur impios in judicio constituendos, ut pote quibus tum omne praesidium et effugium deerit. Hunc sensum lectio hebraica firmat, secundum quam impii in judicio non stabunt, nec caput erigent,* neque consistent cum justis, inter justos locum non habebunt, causam addit Psaltes, quia viam justorum novit Dominus, non autem impiorum, sed potius eam odit, atque execratur. —

„ Psal 4. v 5. Irascimini et nolite peccare. Contra illud Xti. Math: 5. v 22. Omnis qui irascitur fratri suo reus est judicio „?

R. Ex hebraico fonte vertitur, contremiscite et nolite peccare, scilicet moneantur homines, ut salutari timore correpti a peccatis abstineant, quod etiam nexus verborum sequentium refert,* „ (quae dicitis in cordibus vestris, in cubiculis vestris compungimini dolete ac poenitentiam agete.)

„ Psalm

* et lectio vulgata habet bonum suum sensum, si de ira justa de zelo sumatur.

Psalm. 5 v 6 dicitur de Deo „ Odisti omnes, qui operantur iniquitatem„ Cum tamen Isaiae 45 et Alibi Mich. 1. idem Deus dicatur creare malum

R. Mala poenae sive Phisica, utique Deo vindici tribuuntur, qui hisce poenis peccata hominum castigat: odit autem mala moralia et eos qui talia committunt, etiam tum cum improbitate hominum utitur ad alios castigandos: —

„ Psal. 6. v 6. Non est in morte, qui memor sit tui in inferno autem quis confitebitur tibi? (Similia habentur Psal 113. et Isaiae 38.) cum tamen Philip 2 v 10. Paulus dicit „ In nomine Jesu omne genuflectitur coelestium, terrestrium et infernorum„ (Item Apocal 5 v 13.)

R. David loquitur de laudibus Deo canendis in coetu piorum, quas mortui hoc ipso, quod cessant ab operibus vitae celebrare nequeunt. Orat igitur David pro vitae suae conservatione, ut vivus possit Deum laudare, id quod in sepulchro jam posito corpore non posset. In oppositis locis insinuatur excellentia et divinitatem Xti ab Angelis, hominibus atq adeo Dæmonibq voluntarie v coacte agnitam et adoratam iri. —

„ Psal 7. v 7. Orat David: Exaltare inimicorum in finibus meorum, saepe et aliis locis vindictam de hostibus suis a Deo expetit et iis mala predicitur, contra praeceptum Xti Math: 5 v 44.

„ Diligite inimicos vestros benefacite his, qui oderunt vos. —

R. David in hisce locis considerari potest, ut Rex

Propheta

Propheta et typus Xti Personae privatae non est li-
citum vindictam expetere aut exercere, licuit aut Regi
citra odium personale, victoriam de hostibus injuste
cum lacessentibus expetere, licuit Prophetae mala ho-
stibus Regni aut Ecclesiae eventura praedicere. Mul-
ta etiam a Davide contra hostes prolata in sensu
mystico accipienda sunt atq ad persecutores Ecclesiae
et obstinatos Judaeos referenda sunt ut totus Psal. 108.
„ Psal. 9. v 22. Quaeritur David„ ut quid Domine
recessisti, longe in spiciis et opportunitatibus in tribulatio-
ne? Idem tamen Psal 144. v 18. asserit prope est Dominus
in invocantibus eum. Id quod, Deus apud Isaiam
49. v 15. gravioribus etiam verbis affirmat.
R: Deus semper praesto est iis, qui ejus opem eo,
quo par est studio implorant, licet id non semper ad-
vertant: aut ejus opem in iis, quae sigillatim
ac forte contra rationem salutis petunt, non ex-
periantur: indeque videtur his ipsis longe abesse,
quin et eorum oblivisci, dum speratum auxilium
diutius differt, hoc tamen dicit Isaias alienum est
ab infinita ejus bonitate, quae dum longius cre-
ditur abesse a piis, ipsis quam proxima est miris eosdem modis, fovens
conservans et praemia aeterna disponens
113. Psal 11. v 2. In corde et corde locuti sunt, hoc est
cum duplici corde, aliud dicentes, aliud sentientes
et cogitantes. Est hic phrasis hebraica

„ Psal.

„Psal 13. Omnes (homines) declinaverunt, simul
inutiles facti sunt, nec est qui faciat bonum usque
ad unum, multi tamen in scriptura sacra nomi-
nantur justi, et inter caeteros Zacharias et Elizabeth
ambo justi ante Deu incedentes
dicuntur Lucae 1 v 6. ambo justi ante Deum incre-
dentes in omnibus mandatis Domini sine querela„
R. De hominibus impiis et Atheis sermonem esse.
Exordium hujus Psalmi docet, omnes illi a via sa-
lutis et pietatis declinaverunt et in sceleribus suis,
foedaq. imprimis libidine computruerunt ac foetu-
erunt, ut in hebraico legitur, ne unus quidem
e pessimo isto hominum est numero, qui bonum
faciat, hoc est bene vivat. Atque id verum esse
nostris hisce temporibus, ubi Atheismus palam cul-
tus, foedam Epicureorum doctrinam latissime dif-
fundit cum horrore

„Psalm. 17. v 27. Deo tribuitur mutatio„ Cum electo
electus eris et cum perverso perverteris. Contra illud
Malach 3 v 6. Ego Dominus non mutor.
R. Nulla Deo tribuitur mutatio, sed modus indi-
catur, quo se constanter habeat erga homines can-
didos v astutos; scilicet Deus cum electis seu candidis
(secundum notionem hebraicam) candida aget et
cum perversis h. e. cum iis, qui duplici sunt cor-
de, sic agerit, ut doli et astutiae in eorum capita
recidant.

„Psal 17 v 42: Clamaverunt, nec erant, qui salvos faceret ad Dominum, nec exaudivit eos„ De quibus haec dicuntur?
R. Sermo est de impiis, in extrema calamitate, sine vera cordis poenitentia Deum implorantibus, ac praecipue de obstinatis Judaeis, qui furore etiamnum contra Xtum pleni, frustra Dei clementiam sibi exorant.
„Psal. 21. v 2. Deus meus clamabo per diem et non exaudies et nocte etc. Sed v 25. Non sprevit, neque despexit deprecationem„
R. In horto ad Patrem clamans, ab instante passione non est liberatus, in cruce non sentit solatium, cum se a Deo derelictum quereretur. In rei summa autem plenissime est exauditus, cum opus redemptionis perfecit, summamq in coelo aeque, ac in terra gloriam est consecutus. –
„Psal 25 v 1. Inquit David„ Judica me Deus, quoniam ego in innocentia mea ingressus sum„ sed idem Psal 142 v 2. obtestatur„ Non intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo, omnis vivens„
R. David priore in Psalmo loquitur de innocentia sua comparate ad Saulis calumnias, quasi vitae ipsius ac regno insidiaretur; in posteriore autem de justitia et innocentia coram Deo, quam nemo sibi adscribere potest„ Omnes enim egent gloria Dei„

quam

quam miserando ostendit. Utrumq statum ipse
Psal 25 v 11. exprimit de priore asserens „ Ego autem
in innocentia sua ingressus sum de posteriore „ Re
dime me et miserere mei.
„ Psal. 26. v 10 testatur David: Pater meus et ma
ter mea dereliquerunt me „ Quos tamen securi
tatis causa Regi Moabitarum commendavit
1. Reg. 22 v 4.
R David initio fugae suae a vexationibus Sau
lis parentes suos Regi Moabitarum commendavit.
qui proinde tempore, quo David se relictum asseruit
v jam mortui sunt v quod longe remoti ac homi
nes privati essent Davidi opem ferre non poterant.
Fortassis et David hac loquendi formula Orphani si
militudine exprimit, quantum ope divina indigeat Psal. 31. v 3.
David poenitens per illa verba in speciem contradictoria „
Quoniam tua inveteraverunt ossa mea „ Profitetur
silentium peccati sui non profuisse, nisi, ut augeret
infirmitatem suam, quousque ad Deum clamaret.
„ Psal. 33. v 21. legitur „ Custodit Dominus omnia ossa
eorum (justorum) unum ex iis non conteretur.
At secus actum est, cum multis martyribus et justis
etiam in testamento Veteri, de quibus Paulus Hebr 11.
v 37. ait, Lapidati sunt, secti sunt etc.
R Commendatur peculiaris cura Dei circa justos, quia
etiam capillos numeratos habet. Math 10 v 30. Pater
na igitur providentia custodit et animas et corpora
singulaque

singulaq membra eorum, quae quidquid etiam in mortali vitae ipsis acciderit, Deo nunquam pereunt, sed tanto gloriosius eidem post generalem corporum resurrectionem reddentur, quanto acerbiora eidem in membris sustinuerint. —

„ Psal. 35 v 7. Homines et jumenta salvabis Domine scilicet: ea suppeditando, quae ad vitam et conservationem corporis spectant, dat enim escam omni carni et secundum sensum mysticum ex belluinis etiam hominibus facit angelos, ut explicat D. Hieronymus.

„ Psal. 36 v 25 Non vidi justum derelictum, nec semen ejus quaerens panem. (Similia leguntur Prov 10 v 3. Quot pii et justi fame cruciantur) aliiq justi Lazarus inedia et miseria absumptis sunt et Luca 16 v 20.

R. David de suo tempore loquitur et ad experientiam provocat, quia et saepe hoc verbum esse deprehendit, secundum ordinarium providentiae cursum, circa eos, qui et ipsi et erga pauperes animosum benigni ac liberales sunt. Si quando extra ordinarii casus emergunt, Deus tamen miris erga tales modis utetur, suppletq solatiis internis, vicoq coelestis gloriae spe, quod secundum ordinarium rerum cursum deficit.

NB Psal 39. v 7. loquitur de Xto „ aures perfecisti mihi„ quod S. Paulus Hebraeor 10. v 5 ex 70 interpretibus explicat: corpus aptasti mihi propheta scilicet: speciatim per

specialim per aures Xti obedientiam, qua corpus suum pro veteribus sacrificiis offert, et designat. Porro ex hebraico textu verti potest; aures perfodisti mihi, hoc est dociles praebuisti. Alluditur np ad morem quo servi perpetui apud Hebraeos aurium perfossione notati sunt. Exodi. 21.

NB Psal. 43. v 19. Et non recessit cor nostrum et declinasti semitas nostras a viteis tuis„ Jn secundo membro subauditur non sive ut vertit S. Hieronymus, nec declinaverunt gressus nostri scilicet: non permisisti nos declinare a semittis tuis

„ Psal 49. v 8. ait Deus ad Israelem non in sacrificiis tuis arguam te„ id quod tamen Malach 1. v 4 et seqbus factum esse legitur

R. Deus Israelitas h. c. Psalmi monet, quod nudo sacrificio legali non esset contentus et majora requirat scilicet: sacrificia interna fidei, spei et charitatis aliarumque virtutum, quibus aeterna haec sacrificia Deo digna fiant. Apud Malachiam vero Sacerdotem perstringitur avaritia et socordia, quam viliora quoque sine ullo vere pietatis sensu Deo offerebant sibi meliora servantes

NB Psal 54. v 15 et 16 Descendant in infernum vivi hoc est, moriantur morte subita et nullo praecedente morbo

NB Psal 57. v 11. priusquam intelligerent spinae vestrae rahmnum sicut viventes, sic in ira absorbet eos .... Adagialis loquella. Citius quam

spinae

quam spinae in rhamnum excrescant ira Divina eos, et si valentes et optimo vitae statu fruentes repente delebit.

„ Psal. 58. v 12. dicitur„ Ne occidas eos, ad infra v 14. interitus eorum annunciatur in consummatione, in ira consummationis et non erunt. (similia extant, Psal 48. v. 19.)

R. David in Persona X^ti^ rebellibus Judaeis longe Edenunciat supplicia, ut scp: non subito occidantur sed longe, lateq dispergantur ac lenta poena conficiantur, in quo statu confusionis spectari deberent, quasi non essent, ut pote sine Rege, sine sacerdote, sine terra, et sine honore. —

Psal. 62 v 2. „ sitivit in te anima mea, quam multiplicitur tibi caro mea„ Sed Paulus ad Romanos c. 8. v 18. testatur non habitat in carne mea bonum.

R. Paulus de carne corrupta et cupiditatibus obnoxia loquitur. David vero vehementiam desiderii sui exprimit, quae etiam in corpus redundaret ita ut toto se desideraret ad tabernaculum Domini. Variis quoque scripturae Sacrae locis caro accipitur pro homine toto. (Verba illa quem sensu habent)

„ Psal. 67. v 14 dicitur. Si dormiatis inter medios Cleros pennae columbae deargentatae et posteriora dorsi ejus in pallore auri. – Quis sensus hujus loci? R. Per difficilis hujus versiculi interpretationes sunt variae.

variae. Videtur sensus esse talis: Si vero semini in mediis periculis et inter medios sortes, ita ut de vobis et vestro capite jam galia jacietur et hostes vestra bona et vos etiam captivos sorte dividant; gloriose liberabimini a tanto periculo, eritis columbae, cujus alae nitentes sunt et purae, et cujus pennae dorsi virent, aut pollent ut aurum purum: —

„ Psal 68. v 29. David in persona Xti contra hostes suos orat.
Deleantur de libro viventium, np. hostes sui, qui tamen nunquam videntur in eo libro scripti fuisse secundum Apocal: 17 v 8. Quorum nomina non sunt scripta in libro vitae a constitutione mundi. —

+ R. Triplicem librum vitae sive praescientiam Dei ad triplex objectum relatam ex variis S. Scripturae locis distinguere possumus — primum vitae corporeae, alterum vitae spiritualis, tertium vitae aeternae. De primo libro delentur, qui propter delicta praemature e vita tolluntur, quibus spatium poenitentiae non conceditur, hanc poenam videtur David in persona Xti praenunciare, Pontificibus, scribis et Pharisaeis ideoq v 7. dicit „Appone iniquitatem super iniquitatem, super eos„ scilicet: uberiorem gratiam subtrahendo et v. 8. sequitur„ Et cum justis non scribantur —

Alter

Alter liber spiritualis est inchoatus et mutabilis in quo descripti sunt omnes et soli justi, qui exidere gratia etiamnum possunt et sic de libro vitae deleri. -
Tertius est liber vitae aeternae completus et immutabilis, in quo scripti sunt omnes et soli, qui re ipsa, salutem aeternam consequentur. Cum itaque hostes Xti tanquam homines nefarii nec in secundo nec in tertio libro locum habuerint, sequit de scriptione in libro 1o sermonem esse loco citato. De eodem videtur loqui Moyses Exod 32 v 32-33. sibiq, mortem naturalem tanquam gratiam in eo rerum articulo precari.
„ Psal 81 v 5 legitur „ Movebuntur omnia fundamenta terrae cum tamen Psal. 92 v 1. - 103 v 5. 118. negatur terram moveri aut inclinari posse„
R. Tropice insinuatur, quod deficiente justitia seditiones bella et rerum omnium confusionem nascitur, concussis enim legibus regna nutant et cessantibus judiciis omnis humanae vitae ratio permiscetur ablata justitia, quid et regna? Nisi publica latrocinia gravissime pronunciavit Augustinus.
„ Psal 87 v 6. habetur„ Sicut vulnerati dormientes in sepulchris, quorum non est memor am plius; et ipsi de manu tua repulsi sunt; sed nonne Xtus Rom 14. v 8. vivorum et mortuorum Dominus est? nonne providentia etiam defunctorum

defunctorum curam habet?

R. Psalmus X^{to} congruit, cum in sepulchro positus pro gloriosa resurrectione patrem orat, simul coecum hostium suorum furorem exponens, dum putabant de X^{to}, dira morte sublato et sepulto, actus jam penitus esse; illius tanquam impostoris, nec Deum nec homines amplius ullam peculiarem curam habituros. De suprema itaque Dei dominatione et generali providentia sermo hic non est

„Psal 90. - 6. „Ab incursu et daemonio meridiano quomodo id accipiendum est?

R. Daemonium meridianum sive incursus daemonii meridiani antiquis dicebatur subitea et aperta quaevis morbi violenti invasio, qua quis sensuum mentisve facultate derepente privatur. Sic dicta, tum quod a Daemone imprimi crederetur tum quod summo die proveniret. Illa Doebe Babylonius benedictis.

„Psal 94. v 16. legitur „Quadraginta annis offensus fui generationi illi „pro eo, quod Ecclesiastes legat Quadraginta annis proximus fui generationi huic.

R. Quod in Romano Psalterio legitur, accipiendum est eodem sensu cum priori lectione, insinuatur enim ea vi vocis graecae /: prosoh dira/ et nbau

et necu Deum rebellibus Israelitis proximum
fuisse ad vindicandum. Itaque subauditur: ho-
stiliter proximus fui et incubui eis hebraicum
verti potest, toedio affectus fuit. Ceterum notari
hic meretur invitatorium hodierni officii Sacri,
secundum vetus Psalterium Romanum recita-
ri, ad quod cura Sancti Pii 5^{ti} breviarium ac
missale conformata fuerunt, quod Psalterium
a vulgata aliquantum verbis discrepat, ut
pallam est legentibus.

„ Psal. 115 v 11. in illis verbis „ Omnis homo mendax„
David fidelitatem dei commendat prae fidelitate
hominum, quorum quilibet mentiri ac fallere
potest, in uno ergo Deo, quod spes ponenda sit,
docet

„ Psal. 124 v 3. „ Non relinquet Dominus vir-
gam peccatorum super sortem justorum„ Sed
Psalmo 78. v 1. Queritur David „ Deus venerunt
gentes in hereditatem tuam posuerunt morti-
cina servorum tuorum escas volatilibus coeli
R Justis promittitur, quod Deus non permittet,
ut justi diu aut semper imperio aut flagellis
Tyrannorum opprimantur, id quod ex historiis
comprobatur; nam certo ac definito annorum
tempore sicut Nabuchodozori, Antiocho, gentili
Romanorum, Imperatoribus Attillae et aliis
tyrannidem

tyrannidem exercere.

„Psal 144. v 9. legitur„ Miserationes ejus super omnia opera ejus /: se Dei/ extenduntur„ contra illud Psal. ad Rom 9. v 18. Deus cujus vult miseretur, et quem vult indurat„

R. Loco e Psalmi, ut ex ejusdem argumento patet sermo est de generalibus beneficiis super omnia creata a Deo effusis in ipso enim vivimus movemur et sumus. Paulus vero l.c. loquitur de specialibus gratiae auxiliis, quae Deus mera ex liberalitate ac benevolentia concedit nec illi facit injuriam, si rebelles ac obstinatus deserit et judicia sua in eorum contumaciam exercet. Gratiae igitur ex visceribus misericordiae ejus procedunt, judicia vero justitiae ejus ex malitia ex malitia extorquentur.

NB Psal 73. v 5 Posuerunt signa sua et non cognoverunt sicut in exitu super summum. Hoc est: Hoste capta urbe sancta, posuerunt signa, seu vexilla sua in signa in summo templi vertice et super portas nec cognoverunt i. e. non attenderunt loci sanctimoniam.

Ex Libro Proverbiorum

„Proverbiorum c 16 v 4. Universa propter semetipsum operatus est Dominus, impium quoq; ad diem malum.

Sed

Sed Ezech 18 v 32. affirmet Deus „ nolo mortem morientis, et Eccle: 15 v 12. Non necessarii ei it homines impii.

R. Deus infinita sua sapientia, res omnes creatas ita disponit, ut omnia demum ad ejus gloriam servire debeant et vellet quidem gloriam suam declarari per emendationem impiorum, sed cum provideantur impii hanc minime amplecturi, servire debent gloriae Dei per aliam viam, scilicet: per justam punitionem in die malo, quando ad aeterna supplicia rapientur. Itaque velint nolint impii, etiam gloriā Dei in ipsis, dum scelerum suorum dant poenam aeternum declarabitur.

„ Proverb. 19. v 25 Pestilente flagellato stultus sapientior erit. Contrarium legitur 27. v 22. Si contuderes stultum in pila, quasi ptisanas referente desuper pilo, non auferetur ab eo stultitia ejus.

R. Adductae sententiae non ejusdem rationis stultum proponunt. Sunt homines leves inde imprudentes, ac stultorum more agentes, qui aliorum increpatione emendantur et ideo etiam puniuntur scelerati, ut caeteri meliores fiant. Sunt autem et alii inveteratae stultitiae, de quorum sanitate nulla est spes; et homines in malitia ita obdurati, ut nullis remediis emendentur. Advertendum hic est: stultorum nomine passim a Salomone homines malos aut impios designari

„ Proverb. 26 v 4. Ne respondeas stulto secundum stultitiam

stultiam suam, ne sibi sapiens esse videatur."
R. Uterq locus utilem nec sibi repugnantem doctrinam tradito nempe: stulto conviciatori, contumelioso ac maledico non respondendum est conviciis, contumeliis ac maledictis. Sic enim qui agit, ille se similem ostendit. Interdum tamen stulto respondendum est gravibus verbis et solidis rationibus, ut stultiam suam intelligat, ne sibi sapiens esse videatur.

Liber Ecclesiastes

"Ecclesiastes 1. v 4. Terra in aeternum stat at Lu 21. 33. Xtus Dominus ait, Coelum et terra transibunt. Et Isaiae 24. v 20. Terra auferetur.
R. Quae sors terrae manet post supremum judicii diem incertum est; si aliam quam nunc habet, formam indueret patescent Xti ac Isaiae verba. Porro Eccle 1. c non loquitur de statione terrae prorsus aeterna, sed duratione ejus opposita singulorum hominum durationi, et tam longa, ut ejus finem non sciamus: qua ratione vox hebraica (olam) non raro accipitur. Unde alia versio habet: Terra in saeculum stat eamgenerationem hominum aliae aliis succedant, immota est tot mutationum sedes.

v Ecles:

„Eccles: 11. v 14. Sapientis et stulti unus utriusq est
interitus sed 6 v 8. sapiens pergit eo, ubi est vita,
multa insuper dicuntur in hoc libro Ecclesiastę,
quae ad doctrinam accedunt Epiriorum.
R. Ecclesiastes hoc libro disserit de morte corporis
quam nec sapiens nec stultus declinari potest. De
aliis, quae in hoc libro Epicoreis fovere videntur
/at 2 v 24. 3. v 17. 8 v 15. 9 v 3. 7. 7 III 18 v 19. / non ex sen
tentia Salomonis proferuntur, sed ex persona
stultorum et impiorum hominum, quorum ex
positus et discessus opiniones demum repudiat
et docet Deum timendum ac mandata ejus ob
servanda esse /: Haec docet 4. v 7. 8 v 9. 6. v 11. Pos
sunt nonnullae sententententiae de vita hilariter
transigenda de moderato ac legitimo bonorum usu
in hac vita explicari, ut docet D. Hieronymus.
Eccles: 7 v 2. Melius est nomen bonum, quam in
genta praetiosa at Xtus Lucae 6 v 26 ait. Vae
cum benedicerint vobis homines
R. Xtus bonam famam ob praeclara gesta non
reprehendit, quam Paulus 1. Tim 3. inter Episcopi
dotes numeraret famam bonam. Oportet autem illā
et testimonium habere bonum ab iis, qui foris sui
similes, quoque impediunt, quominus divites ac me
liore se frugem recipiant, eo loco reprehendit.

„Eccl.

Eccles: 7 v 14. Considera opera Dei, quod nemo possit corrigere, quem ille despexerit. sed tamen ex 1. Tim 2. orandum est pro omnibus hominib9, quia Deus vult omnes homines salvos fieri.
R. Verba Ecclesiastae de naturalibus quibusdam defectibus intelligi possunt, quos ordinarios homines nec sapientia sua nec divitis emendant. Explicari etiam possunt de obduratis in malo, quos Deq deserere dicitur, licet sufficientia ejus auxilia ad salutem nunquam neget. Et tales inter illos nullus hominum corrigere potest. Solus Deus cum ideo deplicandum est eos potest emolire.
„ Eccles: 7. v 17. Noli esse justus multum et 18. ne impie agas multum: Sed Apocal. ult. dicit: „Qui justus est justificetur adhuc et qui in sordibus est sordescat adhuc.
R. Versu 17. arguit praesumptio de justitia propria nimius rigor, circa alios et circa se et suam conscientiam, qualem hi qui vocant scrupulosi saepe ad stupore mentis et insaniam augent. Virtq nφ consistit in medio, suus saepe locus debet discretioni et epiglicae. Versu 18. memorantur peccatores ne peccata peccatis addant, et impietati habenas laxent, secus enim justo Dei judicio fieri et vitior cordibq plane immergant et pereant.

„ Eccle

Ecclesi: 9. v. 3. Nescit homo utrum amore, an odio dignus sit, sed omnes in futurum servantur incerta — sed Paulus ad Rom. 8. v. 38 ait „ Certus sum quia neq mors, neq vita, neque Angeli, neque Principatus neque virtutes neque instantes" de 2 Tim: 4 v. 7 „ Bonum certamen certavi, cursum consumavi, fidem servavi, in reliquo reposita est mihi corona justitiae.

R. Aperta hujus loci sententia refelluntur Novatores hujus temporis, quia asserunt hominem certum esse et credere debere se esse amicum Dei. itaq ex sensu hujus loci, nemo certa scientia, quae omnem de opposito formidinem excludat citra particularem revelationem novit, quod sit amicus Dei; licet justi multum probabiles conjecturas et spem firmam, quae anxietatem nimiam excludat habere possunt et solent. Paulus te ex summa in Xto fiducia inquit. Certus sum. Item proximus martyrio eadem fiducia in Dei bonitatem ac fidelitatem asserit. Reposita est mihi corona justitiae. Quod se omnino certum de salute sua non crediderit, prodit per illa verba. Nihil mihi conscius sum, sed per hoc justificatus non sum. Castigo corpus meum .. ne forte cum aliis praedicavero ipse reprobus efficiar ad Corinth.

Liber Ecclesiastici

„Ecles: 5 v. 5. De propitiato peccato, noli esse sine
metu. Sed Ezech: 18 v. 21. et aliis in locis, Deus cer-
tam promittit peccatorum veniam. Si impius
egerit poenitentiam, vita vivet et non morietur etc.
R. Eccles: 1c. Damnatur praesumptio, qua quis
de obtenta peccatorum jam commissorum venia
securus peccata nova prioribus adjicit, sibiq de fa-
cili eandem peccatorum venia blanditur. Et ea
expositio ex nexu verborum proxime sequentium
„Neque adjicias peccatum super peccatum, nec dicas
misericordia Dei magna est„ De humili in mi-
sericordia fiducia, quam melioris vitae ratio
sequitur sermo non est.

113 Eccles: 7. v 15. Non iteres verbum in oratione tua,
scilicet Tautologiam seu repetitionem, quasi Deus non
+ postulata non perciperet. Sed preces ex affectu
cordis et vera devotione saepius repetita neutiquam
hic reprehenduntur, quod Psaltes Regius Psal 135.
„Confitemini Domino quoniam bonus etc et ipse
Xtus in horto satis ostendit

Eccle: 8. v 13. „Non incendas carbones peccatorum
arguens eos. Sed Paulus monet 2 Tim: 4. v 2. Insta,
opportune, importune, argue, obsecra, increpa etc.
et Rom 12. v 20. „Carbones ignis congeres super caput
ejus se inimici.
R. Eccle: 1. Sermo est de peccatore irato et in
peccatis obdurato, qui vehementi objurgatione

magis

magis exasperatur etiam contra monitionem.
Paulus vero Timotheum recte monet ut pro tuendae doctrinae suae deposito contra Haereticos et perversos homines, et molibus et asperis, ubi opus fuerit verbis, utatur cum omni patientia et doctrina Rom 1. de beneficiis in inimicum conferendis sermo procedit.
„Eccle: 12. v 4. Ne suscipiat peccatorem Xtus de se dicit Math. 9. v. 13. Non veni vocare justos sed peccatores. Item Math. 5. v 44. monet; Benefacite his, qui oderunt vos.
R Sapiens docet in erogandis eleemosynis rationem piorum potius habendam esse, quam impiorum, qui illis abutuntur v ad scelera v ad fovendam pigritiam, sed hoc ut ajunt, caeteris paribus nam et istis vere agentibus in necessitate ex generali charitatis praecepto succurrendum est, nec pauperes, quales sunt: curiose sunt explorandi.
„Ecclesi: 20 v. 29. Sapiens in verbis producit se ipsum. Contra monitum Prov. 27. v. 2. Laudet te alienus et non os tuum„
R Sapiens pro loco et tempore non vanitatis aut ostentationis gratia, sed ad doctrinam aliorum et exemplum, non veretur de suis benegratis mentionem inferre id quod magnifico suo exemplo Doctor gentium ostendit 2 Cor. 12. ubi dicit de raptu suo ad Coelum de visionibus etc a vera autem sapientia distetit, qui gesta sua ad laudem captandum praedicat.

Liber

Liber Isaiae Prophetae

" Isaiae 2. v 4. Conflabunt gladios suos in vomeres et lanceas suas in falces. Non levabit gens contra gentem gladium. Sed Joelis 3 v 10. legitur. „Concidite arata vestra in gladios et ligones vestros in lanceas et Math. 10 v. 34. „ Non veni pacem mittere sed gladium.

R. Isaiam Prophetico et allegorico sensu de pace & de pace per Evangelium inter Judaeos et gentiles statuenda loqui, satis manifestum est. Joelis vero prophetia commode ad calamitates in hostes Judeorum decretas refertur. Etsi in typo res spectatur, sermo erit quasi per ironiniam de vanis Gentilium conatibus contra Religionem Xanam, qui tamen pace inter conversas ex Judaeis et Gentilibus non turbabunt. Quae porro Xtus Math 1. v. docet, huic quoque paci non officiunt, enunciata enim sunt de dissidiis occasione Evangelii orituris in familiis, a quibus alii Evangelio credituri, alii refragaturi essent.

Isaiae 6. v 9. Audite audientes et nolite intelligere

" Exceca cor populi hujus et aures ejus aggrava..

alio sensu leguntur Math. 13. v 14. Audite audietes et non intelligetis incrassatum est enim cor populi hujus et auribus graviter audierunt.

R.

R Apud Isaiam, quae verba hebraica /: Haschmon, Chebbetet et haschna: / leguntur in imperativo apud 70. cum aliis punctis in praeterito extant, eamq lectionem Evangelista aut ejus interpres est consecutus, utrinq tamen sensus ad idem redit, si per usitatam in scriptura phrasim Toexedia idem dicatur ipse ostende v declara eos excoecatos, prout in Levitico 13. de leproso dicitur „Contaminabit eum sacerdos, hoc est declarabit esse contaminatum. Caeterum si ad Deum verba citata referantur verum est illud S. Augustinus si excaecat Deus, sic obdurat deserendo, non adjuvando, quod occulto judicio facere potest, iniquo non potest /: Vide contionem Skarga pro Sexag: /

113 Quaestio praeliminaris in principio ponitur: Regulae generales in interpraetatione Sacrae Scripturae servandae



